This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

### Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

### About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

1837
ARTES VERITAS SCIENTIA
LIBRARY OF THE
UNIVERSITY OF MICHIGAN
E PLURIBUS UNUM
SI QUAERIS PENINSULAM AMOENAM
CIRCUMSPICE

828
B9716c

m. al

The Chancellor's Latin Verse,

1903.

# Cleopatra.

E. A. Burroughs,

SCHOLAR OF BALLIOL COLLEGE.

# CLEOPATRA:

CARMEN LATINUM CANCELLARI PRAEMIO DONATUM
ET IN THEATRO SHELDONIANO
RECITATUM
A.D. VIII. KAL. JUL. MCMIII

AUCTORE
EDVARDO ARTURO BURROUGHS
COLL. BALL. SCHOL.

OXONII
APUD B. H. BLACKWELL

MCMIII

". . . . . .
The laughing queen that caught the world's great hands.
Then comes a mightier silence . . . . . . ."

LEIGH HUNT

---

"The star is fallen,—
And time is at his period."

SHAKSPERE.

## CLEOPATRA.

Nocte oppressa nova Memphis iacet; undique planctu
Thebarum resonant portae miseroque tumultu:
Carmine sollenni nec iam sublimia pictis
Quot tota adsurgunt Aegypto templa columnis
Sidera nec pingui nidore maligna fatigant,
Sed gemitus contra exoritur circumque voluta
Murmura desertis late geminantur arenis.
Maximus undarum Nilus crudelia gentis
Fata suae plorat frustra, victasque remissus
Ad pontum devolvit aquas, et flumine toto
Dat gemitus. Ergo series longissima rerum
Clauditur, innumeros et nobilitata per annos
Sceptra iacent; servire parant qui mille ferebant
Tunc etiam populi longinqua ab origine gentis
Saecula, Laomedon cum nondum incensa parabat
Numina flagitiis memoremque in moenia Troiae
Divorum invidiam. Quo iam tantosque labores
Totque manu valida tam longo tempore bella
Primaevos gessisse patres, quo immania late
Templa polo exaequasse, aeternaque pondera certo

Pyramidum fundasse loco, domitasque superbis
Immensam gentes seriem inscripsisse columnis,
Si rapta virtute patrum manet irrita proli
Gloria, feminea quae impulsa libidine tota
Corruat?
Occiduo ceu quondam lucida caelo
Fax Veneris, cum Phoebus abit urgentque tenebrae
Desuper, eminuit caecique ad limina ponti
Substitit: oppositis tremulo se reddit in undis
Lumine, tum depulsa ruit, terrasque profunda
Aeraque Oceanumque premit nox invida nube:
Haud aliter regum Phariorum se ultima tollit
Progenies Cleopatra, ruenti et praesidet ipsa
Causa ruinarum patriae. Primo illa iuventae
Flore invita sui patitur connubia fratris,
Mox,—quae namque ferae commercia tuta leaenae
Et cervo imbelli?—lis incidit improba; regnis
Seditione fugit subita exturbata, Syrosque,
Triste puellari meditans sub pectore bellum,
Adpetit, externaque manu invasisse paterna
Audebat jam regna, nisi huc devectus adesset
Heu frustra tua, Magne, legens vestigia Caesar.

Nam formosa suae regina neque inscia formae
Militia fessa et rerum satiata secundo
Eventu illecebris pertemptat et arte procaci
Corda ducis: bene fisa sibi, rate provolat una

Pellaeum ad portum; precibus laxantur et auro
Vincla Phari, patriisque offert sese exsul in aulis
Ausonio improvisa duci, passoque capillo
Sollerti fictos effundit voce dolores
Et rogat ultorem. Potuit non cedere verbis
Ille, sed oranti formae facundia major
Subvenit, et regnis turpi mercede receptis
Et te dedomito, Caesar, Cleopatra superbit.

At regina diu tam sese experta valentem
Ambitione nova pariterque libidine flagrat,
Nec satis hoc uni rata quod sibi pareat ingens
Aegyptus, tanto sperat discrimine rerum
Momentum ancipitis quo declinaverit orbis
Se fore, se Tiberi quae Nilo jura daturam;
Esse etenim se pulchram ideo ut iam denique terris
Femina praesideat. Iam tum vix arma Philippis
Mota quiescebant mundique iterata dolentis
Discidia, at magnae certamina tertia Romae
Fata parant, ter bella pati civilia cogunt,
Arsacida necdum edomito violare Latino
Sanguine longinquos campos pontumque Pelasgum.
Iamque adeo ventura sonum toto orbe minacem
Proelia dant longe: hinc sese puer ille receptus
Gentem in Caesaream, hinc Antonius erigit, illi
Foedere iam frustra ficti sociatus amoris;

Namque subest utrique odium regnique cupido
Aemula; non animis actos in funera fas est
Colloquio cohibere aut compositis hymenaeis,
Nec caelo emissum precibus suspendere fulmen.
Et Cleopatra, deo tot vaticinata cruento
Funera deberi, nunc huc nunc dividit illuc
Ancipitem curis animum, perque omnia versat,
Saepe rogans quid fata ferant, utri alta voluntas
Conciliata deum, valeatne aut milite et armis
Hic aut pectoribus rerum plus ille peritis;
Et nunc Antoni nullis pellenda periclis
Constanti virtus animo et prudentia rebus
Tam firmata trahit dubiam, nunc sidere Caesar
Invitat patrio et praesenti numine felix.
Vix alternantem Parcarum inamabile vincit
Imperium: Antoni proprias sibi sumere partes
Mens stetit, hunc opibus volt sustentare suoque
Milite, seque ducis certo sociare triumpho,
Demens, nec capiti superimpendentia fata
Respicit, et simili seque Aegyptumque ruina
Demersas.
Ille interea se ad flumina Cydni
Dum tenet, huc regina viam super aequora remis
Molitur; rumor rapida praenuntius ala
Urbes per Cilicum perque Asia rura vagatur;
Visendi studio ad ripas hinc inde tumultu

Plebs effusa ruit vario, stipataque navis
Adventum exspectat, quae mox adlabitur amnem
Splendida per medium. Costis illisus aenis
Luce repercutitur rutila sol, iamque putarit
Serus agens summo pastor de monte capellas
Accensam flagrare ratem et fluvialibus undis
Spargere Vulcanum: in ventos diffundit odores
Porrecta aurato velorum purpura malo;
Aurum puppis habet, refluosque argenteus ordo
Remorum in numerum fluctus ferit. Ipsa cubili
Sublimis regina sedet; tentoria tenui
Lucida circumeunt filo formamque iacentis
Oraque nec celant nec conspicienda profano
Tota simul praebent populo, studiumque videndi
Accendunt: hinc inde, deas imitata marinas,
Turba ministeriis famularum intenta vagatur,
Atque aliae sollerti intendunt carbasa tactu,
Una regit cursus clavumque ad litora torquet.
    Hic ille opperiens reginam Antonius alto
Urbe sedet media solio cordisque tumultu
Ancipiti gestitque simul metuitque videre
Laudatam fama formam et contraria fatis
Ora suis: densa qualis sub fronde colubram
Vidit ubi latitantem avis, ala pendula librat
Se tremula, squamisque ferae splendentia pictis
Terga reformidat simul et miratur, et auro

Cristatum caput et tumido linguam ore micantem:
Fixam oculis tenet illa et discessisse petentem
Adlicit ad mortem: haud aliter praesaga malorum
Mens quamvis vetet ire, tamen, ceu numine pulsus
Nescioquo, facilem invitus te reddere praedam
Cogeris, Antoni, navemque ascendere iussus.

Explicat interea magno Cleopatra tumultu
Ignotos Latio luxus dapibusque superba
Praesidet instructis: primo stupet advena consul
Aspectu tacitusque sedet; pallore fatentur
Insolito vultus defixaque lumina terra
Quam durae penitus temptent praecordia flammae,
Quantus et insidat misero deus. Illa ubi noscit
Iam sua flaminibus propelli coepta secundis,
Attollit se ultroque oculis ardentibus infit:

"Exoptata mihi et multos praevisa per annos
Tempora fatorum serus circumtulit ordo:
Iam terris requiem firmaeque novissima pacis
Dona parant Superi, et cupiunt fatale benigni,—
Tu modo tanta deum, Romane, incepta secundes,—
Discidium sanare atque aurea reddere saecla.
Haec ego (nec fallor) cecini quae abstrusa vetustis
Deprompsi libris oracula, quos Pater olim
Caelicolum, primis cum magnum immitteret orbem

Cursibus, in terris liquit, voluitque per illos
Posse hominum si cui prudentia pectora rerum
Tuta per annorum longas vestigia ferre
Ambages, rapidique viam praevertier aevi.
Quos nostri invenere patres: hinc tempore longo
Derivata manet Phariae sapientia genti,
Hinc etiam aversae clades, hinc saepe periclis
Erepta in viridem perstant haec regna senectam.
Nunc tamen ad metam ventum est, nec iam ulla refellunt
Vota diem: fato monitus, se tradere Nilus
Externo discit populo dominumque requirit
Cui simul Aegyptus, simul ingens pareat orbis.
Adscriptum sed enim est, ubi iam duo fata virorum
De summo imperio certarint aemula, necdum
Clara satis divom steterit via, tum fore rebus
Niliaca ut mulier dubiis superaddita bellum
Ad finem trahat,—en ultro tibi meque meumque
Devoveo regnum, quoniam in me fata volebant
Indigna tanti rerum discriminis esse
Arbitrium: hoc unum, oblatis utare precamur
Auxiliis omnes Pharii."

Finem illa loquendi
Ore dedit, medioque simul sublimis Olympo
Suspensae Lachesi Pater adnuit: illa labori
Protinus aeterno incumbit, letalia terris,
Antoni, tua deducens subtemina fati.

Addit enim classes aeratas, Actia bella,
Et convulsa maris luctantibus aequora remis,
Et simul Europae Libyaeque Asiaeque rubentem
Sanguine confuso pontum: se deinde vocato
Tradentem vento adponit trepidaque volantem
Reginam super alta fuga, et iam roboris ipsum
Immemorem antiqui fugientia vela secutum,
Dementem, neque enim quantis sua cogitat auris
Difficili fortuna freto iactata laboret.
Quamquam vaesano nisi tum cessisset amori
Vi potuit propria fatis obstantibus unus
Pervicisse tamen toto et dominarier orbe.

Constitit amisso ductore exterrita classis:
Diversae effugiunt aliae, verruntque profundum,
Pars et perfidiam ducis indignata fugacis
Victori tradunt se ultro veniamque rogatam
Accipiunt. Ipse interea super aequora Caesar
Dis properat ventisque faventibus arbiter orbis.
Armorum Phariis iamque ingruit horror harenis;
Sedibus omnigenum primaevis monstra deorum
Longo cum plangore et barbarico ululatu
Expulsa aeternum caeli inter nubila quaerunt
Exsilium: vacuis armatam adstare Minervam
Templis respiciunt pavidi, Martemque Latini
Nominis auctorem, et torvo victricia voltu

Numina Romulidum.
At miserum iam prisca ducem sub pectore virtus
Urit inexstincto frustra rediviva dolore:
Carceribus qualis brevibus, quem forte leonem
Occultae cepere plagae, trahit irrequietus
Hinc atque inde pedem, clausaque exaestuat ira;
Talis et incassum saevit vagus ille per aulas,
Et quantus fuerit reputans et qualia demens
Perdiderit: nec iam solitis Cleopatra furentem
Illecebris mollire valet nec supplice voltu,
Fitque invisa viro tantorum causa malorum.
Illa tamen (percepit enim) fera flectere tendit
Corda dolo, inclusamque tenet sese ipsa sepulchro,
Quod sibi sospes adhuc condebat mole superba:
Mortem se simulat petiisse; ea fama per urbem
Spargitur. Antoni quae vox ut venit ad aures,
Obstupuit primum, veteri tum cessit amori:
Litore ceu quondam cum longius unda recessit,
Traxit et in se pontus aquas, cessare videntur
Omnia, mox alius collecto pondere fluctus
Irruit et late nudatas mergit harenas;
Sic illi renovatus amor, sic pectore toto
Exundat: nec iam tumidus se continet aestus,
Nec patitur suo vincla dolor: cruciata supremos
Corda viri solvunt gemitus, nec plura moratus
Prosilit inque ensem sese inicit. Integra venis

Vita tamen perstat misero, et periisse rogantem
Mors ultro refugit.
                    Funestos illa dolorum
Discit ubi eventus, amens, exterrita, duci
Continuo iubet ad sese, gremioque fovere
Osculaque exsangui flagrantia figere fronti
Incipit; at tacita mediis amplexibus ala
Obstat pallida Mors: languentia membra rigescunt,
Aeternaque oculos sopor urget ferreus umbra.

Tum vero immodicis rumpit Cleopatra querellis
Aera, et in summos audax convicia torquet
Caelicolas; nec iam facilem cura ulla salutem
Accipere, aut aures precibus temptare benignas
Caesaris. Ardescit venis tum patria virtus,
Mensque exuta malum fugientibus ardua pinnis
Mortales spernit coetus, adparet et alto
Pectore nobilitas trahiturque libidine mortis.
Sceptra ferunt jussae et gemmis diadema coruscum
Ancillae et Pharios quae longo tempore reges
Purpura vestierat: simul adstant aspidis ante
Provisae insidiae. Sollenni jamque paratu
Splendida se attollit constantique ultima voce
Verba refert:
                    "Me quippe tuis insigne triumphis
Addere vis, Caesar, decus, et mea colla sequentis

Victrices currus Latia foedare catena ?
Sunt, derise, mihi vires studiosaque leti
Pectora ; nec Romae soli laus illa petentum
Mortem ultro datur ; et nobis cunctantia fata
Invitare licet laetoque occurrere voltu.
Iam vero quoniam subtraxit iniquus honesti
Quicquid erat toto orbe deus, cur ultima saecli
Praeteriti morer, aut quo non invadere Mortis
Arcanamque domum tenebrosaque limina pergam ?
Te sequor, Antoni ! "
Simul aspida corbe latentem
Promit et exsertae infixam tenet ipsa papillae :
Illa per et venas et conscia membra quietum
Submittit penitus letum, iamque alta gravatos
Nox oculos tegit, et vacuas it vita sub auras.